



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

Cap. XIV. Rhetorices etymon, & totius operis divisio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12945**

## CAP. XIV.

*Rhetorices etymon, & totius operis divisio.*

**R**etorice in Latinum transferentes, tum *oratoriam*,<sup>15</sup> tum *oratricem* nominaverunt. Quos equidem non fraudaverim debita laude, quod copiam Romani sermonis augere tentaverint. Sed non omnia nos ducentes ex Græco sequuntur, <sup>1</sup> sicut ne illos quidem quoties suis utique verbis signare nostra voluerunt. Et hæc interpretatio non minus dura est, quam illa <sup>2</sup> Plauti <sup>3</sup> *essentia* atque *entia*: sed ne propria quidem. Nam oratoria sic efferetur, ut *elocutoria*: oratrix ut *elocutrix*. Illa autem de qua loquimur *rhetorice*, talis est, qualis *eloquentia*: nec dubie apud Græcos quoque duplicem intellectum habet. Nanque uno modo fit appositum, *ars rhetorica*, ut *navis piratica*: <sup>4</sup> altero nomen rei, qualis est *philosophia*, *amicitia*. Nos ipsam nunc volumus significare substantiam, ut grammatice literatura est, non *literatrix*, quemadmodum *oratrix*: nec *literatoria*, quemadmodum *oratoria*. Verum in rhetorice non sic. Ne pugnemus igitur, cum præsertim plurimis alioqui Græcis sit utendum. Nam certe si & <sup>5</sup> *physicos*, & *musicos*, & *geometras* dicam: nec vim afferam his nominibus indecora in Latinum sermonem mutatione. Denique cum M. Tullius etiam ipsis librorum quos hac de re primum scripserat, titulis Græco nomine utatur, profecto non est verendum ne temere videamur

Quosdam reprehendit, qui *rhetorices* appellationem in Latinum male verterunt, atque nomine Græco esse utendum ut Latino. deinde *rhetoricen* partitur in *præcepta*, *oratores*, & *oraticenem*. Turneb.

<sup>1</sup> *Sicut ne illos quidem.*] Nam quædam propria sunt linguæ Romanæ, quæ quidem Græcis inaudita fuerant: idcirco apud illos carent appellatione, ut *dictator*, *emancipatio*. Idem.

<sup>2</sup> *Plauti.*] Alias, *Flavii*, ut & infra

lib. 3. cap. 6. de statu. & lib. 8. cap. 3. de ornatu.

<sup>3</sup> *Essentia atque entia.*] Duo hæc nomina *essentia* & *entia* significant substantiam, quæ dicitur Græcis *ἐστία*. Turnebus.

<sup>4</sup> *Altero nomen rei.*] Nomina substantiva rem simpliciter significant, adjectiva vero adjunctionem quandam & appositionem, & quasi adhesionem. Idem.

<sup>5</sup> *Physicos.*] Philosophos.

K 2

I Igitur

videamur oratori maximo de nomine artis suæ credidisse. <sup>1</sup> Igitur *Rhetorice* (jam enim sine metu cavillationis utemur hac appellatione) sic, ut opinor, optime dividetur, <sup>2</sup> ut *de arte*, *de artifice*, *de opere* dicamus. *Ars* erit, quæ disciplina percipi debet: ea est bene dicendi scientia. *Artifex* est, qui percipit hanc artem, id est orator, cujus est summa bene dicere. *Opus*, quod efficitur ab artifice, id est bona oratio. Hæc omnia rursus diducuntur in species. Sed illa sequentia suo loco, nunc quæ de prima parte tractanda sunt, ordiar.

<sup>1</sup> Igitur *Rhetorice*.] Hæc Fabii divisio consentit cum Ciceronis partitione, qua distribuit doctrinam dicendi, in *vim oratoris*, *orationem* & *quæstionem*. nam vis oratoris complectitur artem & artificem, oratio opus. operi porro & arti admixta est materia, quæ appellatur quæstio. *Idem*.

<sup>2</sup> *Ut de arte*.] Uberrime totam facultatem est complexus, cum de arte dicat, & de oratore in quo est ars, & de oratione quæ ex artis præceptis ab oratore efficitur: perinde ac si diceret de *qualitate*, de *subiecto*, & de *effectu*. *Idem*.

## C A P. XV.

*Quid sit rhetorice, & quis ejus finis.*

<sup>16</sup> **A**Nte omnia, quid sit *rhetorice*: quæ finitur quidem varie, sed quæstionem habet duplicem. <sup>1</sup> aut enim *de qualitate ipsius rei*, aut *de comprehensione verborum* dissensio est. Prima ac præcipua opinionum circa hoc differentia, <sup>2</sup> quod alii malos quoque viros posse oratores dici putant: alii (quorum nos sententiæ accedimus) nomen hoc, artemque de qua loquimur, bonis demum tribui volunt. Eorum autem qui dicendi facultatem à majore ac magis expetenda vitæ laude fecernunt, quidam *rhetoricen vim* tantum, quidam

**V**arias ponit *rhetorices* definitiones, varios quoque fines, quibus improbat demum colligit *rhetorices* esse finitionem, *scientiam bene dicendi*: finem vero, *bene dicere*. Turneb.

<sup>1</sup> *Aut enim de qualitate*.] In definitionibus interdum quæritur verumne

hoc an falsum, quod ad qualitatem est referendum: ut an *rhetorice* bona est, an mala, interdum vero plusne complectatur an minus, quod ad comprehensionem verborum referri debet. *Idem*.

<sup>2</sup> *Quod alii malos*.] Hunc locum Fabius exequitur fusius cap. 1. lib. 12. *Idem*.

1 Karg-